

QUÆSTIO LIV.
DE COGNITIONE ANGELORUM.

SUMMA LITTERÆ.

Ab ista quæstione incipit agere D. Thomas de potentiis Angelorum, quæ sunt intellectus, et voluntas, pertinentque ad proprietates talis naturæ, et substantiæ. Et primo, occurrit potentia intellectiva quæ præcedit volitivam: de qua tria agit. Primo, de ejus quidditate in ista quæstione. Secundo, de medio per quod fit intellectio, quæstione sequenti, Tertio, de objectis ad quæ extenditur, et modo cognoscendi illa, tribus quæstionibus sequentibus.

In hac igitur quæstione ostendit articulo primo, quod intelligere Angeli distinguitur ab ejus substantia, quia se habet per modum actus secundi, et substantia per modum actus primi: nulla autem substantia creata est ipsemet actus secundus, nec quantum ad esse, neque quantum ad operari, quia careret potentialitate, et esset actus purus.

In articulo secundo ostendit quod intelligere Angeli distinguitur ab ejus existentia, seu esse, quia omnis operatio si est actio transiens, non est esse rei, quia exit extra illam. Si est actio immanens actuat quidem suum operantem, non tamen est esse illius, quia est indifferens ad multa intelligenda, vel volenda, et diversificatur secundum objecta, esse autem rei est, unius speciei determinatæ.

In articulo tertio ostendit quod non solum ipsum intelligere Angeli, sed etiam ejus potentia intellectiva distinguitur ab ejus essentia, seu substantia, eo quod substantia et potentia operativa ordinantur ad diversos actus, scilicet substantia ad esse et potentia operativa ad operari: et operari, quod est intelligere, differt ab esse: ergo substantia Angeli, quæ est in potentia ad esse, non est idem quod potentia operativa.

In articulo quarto ostendit non distingui duplicem intellectum possibilem et agentem: isti enim duo intellectus distinguuntur quatenus intellectus possibilis est in potentia ad ipsas species intelligibiles: intellectus autem agens reducit illum in actum, imprimendo illi tales species ex objectis, seu phantasmatibus abstractas. Angelus autem est intellectus perfectus respectu eorum quæ naturaliter cognoscit; et sic non est in potentia ad hujusmodi species, sed habet eas naturaliter cognitæ. Unde non indiget intellectu agente imprimente illas, et abstrahente a phantasmatibus.

In articulo quinto ostendit quod in Angelis solum est cognitio intellectiva, quia sensitiva est corporea, sicut patet in visu, et auditu. Angeli autem sunt pure immateriales, nec habent corpora sibi unita: et sic carent organis corporeis, et consequenter potentiis sensitivis.

QUÆSTIO LV.
DE MEDIO COGNITIONIS ANGELICÆ.

SUMMA LITTERÆ.

Tractat in hac quæstione D. Thomas de speciebus, quibus intellectus Angeli tamquam per medium suæ cognitionis intelligit. Et in primo articulo ostendit quod ipsa substantia Angeli non sufficit ad repræsentandum sibi omnia tamquam species, quia substantia Angeli est finita, et determinata ad certum genus et speciem: ergo non comprehendit perfecte omnia alia extra se: ergo ut intellectus ea intelligat, requirit repræsentationes, seu species superadditas.

In articulo secundo ostendit quod species istæ non accipiuntur a rebus in Angelis, sicut nos eas accipimus a rebus, sed habent illas per influxum et impressionem Dei, quia Angeli in genere intellectualium sunt perfecte intellectivi, sicut in genere corporum cæli sunt corpora perfecta respectu inferiorum. Convenit autem corporibus inferioribus, non totaliter, et adæquate perfici per aliquam formam, sed modo acquirere unam, modo aliam: corpora autem cælestia statim a principio habent suam perfectionem: ergo similiter Angeli in genere intellectivo habent suam perfectionem, seu formas intelligibiles statim a principio, non autem eas paulatim acquirunt ab objectis.

In articulo tertio ostendit quod species intelligibiles in Angelis superioribus superiores et universales sunt, quia quanto intellectus est altior, tanto paucioribus mediis utitur ad cognitionem rerum, ut etiam apud nos apparet, quod qui sunt fortiores intellectus ex paucis multa capere possunt. Et Deus quia habet infinitam plenitudinem intelligendi, in uno omnia intelligit, id est, in essentia sua: ergo Angeli quanto superiores tanto paucioribus speciebus indigent; et sic illæ species ad plura se extendunt, quod est esse universales.

DISPUTATIO XXI.

DE INTELLECTU, ET SPECIEBUS
ANGELORUM.

ARTICULUS I.

Quid de potentia intellectiva, et intelligere Angeli D. Thomas probaverit?

Quatuor præcipua tradidit D. Thomas in quæstione LIV, de intellectu, et intelligere Angeli.

Primum est, quod intelligere Angeli non est ejus substantia.

Secundum, quod non est ejus esse.

Tertium, quod potentia intellectiva non est ejus substantia, sed accidens ei superadditum.

Quartum, quod in Angelo non est duplex intellectus, agens et possibilis, sicut in nobis; agens, qui producat species ex objectis sensibilibus; possibilis, qui recipiat. De hoc ultimo plenius agemus infra ostendendo, quod Angeli non accipiunt species a rebus, sed a Deo illis imprimuntur. Unde carent intellectu